



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

In Cap. De prudentia 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

mulierem intercefferit, vel consuetudo loci aliter dictaverit, dos integra non sit restituenda, neque dividenda bona. Quod quidem, quod ad divisionem bonorum attinet communiter acquiritorum, rectè admiserim, sed quoad pactum nequaquam, cum turpe hoc pactum esset in specie textus nostri, in quo agitur de putativo matrimonio. Præsumitur enim uterque vel

alter eorum contrahentium scivisse impedimentum, vel dolo malo contraxisse matrimonium, ob quem non tam restitui, quam fisco inferri debet dos, *l. Qui contra 4, C. De incest. & inu. nupt.* Cæterum in matrimonio vero sive legitime contracto pactio de non restituenda dote, dissoluto per mortem matrimonio, valet, *c. ult. & ibi dicam inf. eod.*

## In Cap. De prudentia 3.

## SUMMARI A.

1. *Iudex proferens sententiam divortii simul & pronuntiat de restituenda dote.*
2. *Cur hoc cap. omissam causam dotis restituenda repetere jubeatur.*

**E**X hoc Cap. constat, judicem, qui sententiam divortii intervirum & mulierem proferat, propter consanguinitatem, vel etiam aliud impedimentum canonicum, debere simul pronuntiare de restituenda dote mulieri.

Sed mirum videtur, quòd hic, finito iudicio per sententiam divortii iudices delegati à Sede Apostolica omissam causam dotis restituendæ repetere jubeantur, cum illi iudices semel officio suo functi sint. Iudex, inquit Ulpianus, postquam semel dixit sententiam, iudex esse definit. Semel enim malè seu benè functus est officio, *text est in l. Iudex postquam 55, D. De re iudicata.* Sed

respondet Glossa hic, quòd iidem hoc faciunt ex novo mandato S. Pontificis. Verùm hæc responsio textui nostro minimè convenit, siquidem hoc mandatum posterius ex priori mandato deducitur: *Quia igitur, inquit, vos qui de matrimonio principaliter cognovistis, & de dote (qua est causa incidens) accessorie cognoscere valuistis, & sententialiter desinere.* Quare rectius Ant. Butr. hic existimat, iudicis officium non expirasse per sententiam super divortio laram, cum & dotis causa priori mandato insit, & propriâ actione peti possit dos, videlicet conditione sine causa, *l. fin. D. De condit. sine causa.* Quæ eum omninò distincta sit à causa matrimonii, rectè coram iisdem iudicibus intentatur. At ubi id, quòd planè accessorie venit in iudicium, & actione separatâ peti non potest, sed solo officio iudicis, expirat sententia lata in causa principali, *d. l. Iudex postquam, c. In literis 9, sup. De off. & potest. iud. deleg. & l. 4, C. Depositi.*

## In Cap. Plerumque 4.

## SUMMARI A.

1. *Mulier ex causa adulterii à marito separata dotem repetere non potest.*
2. *Nisi & ipse maritus adulterium commiserit, vel ei causam dederit.*
3. *Dotale iudicium quid?*
4. *Filiasam, ob adulterium an præjudicet patri in dote profectitia?*
5. *Petitio dotis an competat & heredibus mariti?*
6. *Maritus ob adulterium amittit donationem propter nuptias.*
7. *Ex causa adulterii agitur vel criminaliter vel civiliter.*
8. *Criminali iudicio agit maritus contra uxorem adulterantem, non è contra.*

**H**Oc textu nostro mulier ob causam fornicationis, id est, adulterii, ex sententia iudicis, vel propria voluntate à marito suo separata, nec ei reconciliata, dotem repetere non potest. Ratio est, quia repetenti obstat exceptio adulterii, propter quod amittit dotem mulier, & marito applicatur, *§. quia verò plurimas vers. si de adulterio Nov. 117, Vt liceat matri & avia, & l. Consensu 8, C. De repud. \** idque ita accipiendum est, nisi & ipse maritus adulterium admiserit sive fornicationem; tunc enim eum mutuâ compensatione delicta tollantur, non obest mulieri exceptio adulterii, *c. pen. & ult. inf. De adult. & xxxii q. 6. per tot & l. Viro 40, D. Solutio matrim.* aut nisi maritus auctor